

7
REGIA STUDIORUM GALLICORUM UNIVERSITAS.

FACULTAS LITTERARUM

IN ACADEMIA PARISIENSI.

DISSERTATIO

DE

CERTITUDINE HISTORICA,

QUAM PUBLICE DISCEPTANDAM PROPONIT,

AD DOCTORIS GRADUM PROMOVENDUS,

P. A. LEMAIRE,

IN FACULTATE LITTERARUM JAM LICENCIATUS.

DIE AUGUSTI VIGESIMA, MDCCCXXIII.

THE UNIVERSITY OF CALIFORNIA LIBRARY

PAULINE LITTELL

IN AGRICULTURE

DISSERTATION

BY

PAULINE LITTELL

IN AGRICULTURE

P. A. LITTELL

IN AGRICULTURE

THE UNIVERSITY OF CALIFORNIA LIBRARY

Nicolaus Eligio Lemaire,

Poeseos latinae Professori,

et Bibliothecae Latino-classicae Editori,

PATRUO ET MAGISTRO;

O utinam!

P. A. Lemaire.

Nicolaus Episcopus Lemnensis


Professoris Latine

Liberalium

PATRUS ET MAGISTRO

O saluam!

P. A. Lemnensis



DISSERTATIO

DE

CERTITUDINE HISTORICA.

HOMO, quum imbellicitate, tum ignorantia laborans, *nudus in nudam humum* projicitur, omniumque necessitatum vinculis circumdatus, auxilio pariter et moderamine indiget: qui cæteris imperaturus est, cæteris debilior nascitur, et antequam jubeat, dicto obtemperare discit. Quidquid enim ad usum vitæ necessarios pertinet, puer sibi nequit comparare, et infirmitatis suæ conscius, alienam experientiam lacrymis implorat. Quum vero caducam ætatem sustentari salutemque protegi sollicitis circa se trepidantium manibus sentit, mentem aperit beneficio capiendam, et verbis cujuscumque de se optime meriti fidem maximam addicit. Ecquis, si mater tam cara, tam spectati amoris, rem aliquam affirmaverit, velut compertam sibi et exploratam agnoscere dubitet?

Nos igitur ab ortu quasi suscipit, alitque et educat *auctoritas*.

Quod si nunquam aliorum testimonio nobis videremur decepti, neque eorum opinioni nostra ipsorum judicia plerumque contradicerent, nemo sane auctoritatem discepta-

tioni obnoxiam, momentoque ponderandam suo, examini subjicere cogitasset. Quia autem res aliter descriptas aliter se habere una quæque dies ostendit, orta est hinc suspicio, animusque veritatis amantissimus totas statim vires ad explorandum scrutandumque intendit. Primi tamen affectus altissimis radicibus inhærent infixi, et qui semel in dulcem fiducia consuetudinem venit, pronus erit semper ad credendum illius dictis, cujus benignam sæpius voluntatem fuerit expertus.

Opinionem *mundi reginam* vocavit Pascal, haud quidem immerito; nam quum homines illico a cunis ad tumultum temporis impetu abripiantur, et perpauca singuli inter circumstantes erroris nebulas oculis deprehendant, necesse est alii aliorum judicio confidant, et omnes ad explendam hanc noscendi cupidinem, humanæ menti innatam, communi sensu et universa ratione utantur. Considera virum omni doctrinarum supellectile abundantem: quid ex his omnibus sibi proprium et peculiare habet? quidnam ipse exploravit? quid expertus est? quid ingenii sui viribus invenit? quot naturæ arcana deprehendit? quot artes reconditas extraxit in lucem? Plurima quidem animo complectitur: sed horum quam multa alienæ debet experientiæ! Ut omittam magna præteritorum seculorum exempla, unde reges et populi cupiditatibus suis fræna imponere respectu rerum humanarum ediscunt; numquid omnes, quarum nunc circumscribit terminos, regiones peragravit; omnes adiit populos, quorum mores, ingenium, politicam bellicamque artem tam callide perscrutatur, tam acute disputat? Homines ad orbis immensitatem puncti instar obtinent; et tamen orbem totum mente comprehendunt: unius certe vires huic capiendæ magnitudini non sufficiunt.

Quum igitur ea sit humano generi constituta lex, ut doctissimus quisque auctoritati plurimum debeat, quid dicam de vulgo, vel minimam meditando extundere notionem nesciente? Scilicet agricola, quum solo semina mandare parat, non altissimas inchoat cogitationes, quomodo se germen in fecundo terræ sinu explicet: quod patres docuere, diligenter facessit, neque sui eum poenitet obsequii. Immo quo recideret humana societas, si nemo legibus vellet prius obtemperare, quam eas ipse perpendisset! Si omnia jampriusdem unanimi consensu approbata in dubium vocaret, et ad rationis suæ tribunal retraheret iterum judicanda! Si cum unoquoque separatim de præcipuis vitæ sapienter institutæ officiis disputatio instauranda foret! Ergo non omnia quidem, sed multa ex auctoritate credenda sunt, quibus concipiendis vulgi mens impar est.

Ne tamen existimetur ea fides a ratione abhorrere: quin contra semper in consiliis præsens magistra cum moribus vitæque hominum adeo connectitur, ut quoties aliquis eam sequi recusat, ipse statim omnium judicio demens videatur. Et quidem ipsa ratio nos edocet magni interesse, ut certo dignoscamus plurima, quæ remotiora a nobis non nisi auctoritate assequi possumus. Cæterum, quemadmodum nemo sanus contendet litteras fortuito cohæsisse ad condendam Æneidem, ita nulli de communi testimonio diffidendum est, quasi omnes populi ad concinendum mendacium conspiraverint. Itaque, quandoquidem auctoritate in multis regitur humana societas, quæritur, utrum illa nos quasi cæco instinctu impellat, an, tanquam ratio et experientia, ad certitudinem perducere valeat.

Antequam hanc quæstionem solvendam suscipiamus, pauca de certitudine delibanda videntur. *Certitudo* est ille

animi habitus quo propositioni cuidam accedit, eamque, licet aliquando non intellectam, veritati tamen consentientem affirmat. Porro ubi inter ideas, quas comparat, convenientiam aut discrepantiam perspexit, statim iudicium pronunciat, et in eo conquiescit, nihil amplius quærens quia invenisse, nihil desiderans quia possidere sibi videtur. Recte igitur certitudinem vocant *mentis quietem* : quoties enim novi aliquid et incogniti apparet, mens statim cognoscendi cupidine impellitur et laborat; verum ubi cognovit, placido confestim statu composita quasi considet et requiescit immobilis, ita ut de sententia nihil possit eam dimovere.

His præmissis, ad propositum redeamus. Quamquam decipi possit unusquisque hominum, sæpe tamen evenit, ut eorum testimonio non sit resistendum, immo resistere non valeamus. Quis enim, dummodo paululum in historia fuerit versatus, bona fide dubitet Romam vel Carthaginem exstitisse? quis dubitet olim in Gallia regnasse Carolum Magnum? quis neget Henrici quarti præclare facta? quis inficias ire audeat, Græcos nuper se contra immanem Turcarum sævitiam erexisse, splendide rebelles? Nunc sophistæ congerant argutias, eam certe fidem labefactare non valebunt magis quam quum non exsistere corpora contendunt. Eæ scilicet opiniones animis penitus insederunt, et velut altissimis inhærent radicibus, quas evellere vis nulla potis est.

At saltem factis plus minusve fidei tribuimus; nonne igitur dici potest varios esse in certitudine gradus? — Minime, opinor. Scio equidem eam a nonnullis ad calculos redactam et absolutis numerorum particulis divisam fuisse : sed hic est animi aberrantis lusus, et quam aliquoties persuasionem testis unus affert, alias non conciliant plures. Cæterum certitudo, ut jam supra dixi, esse incipit, quum mens rebus

perpensis in aliquam discedit sententiam, cui fixa et immobilis adhæret: atqui una semper eademque est immobilitas, nullis divisa gradibus, nullo numerorum discrimine supputanda: sic et certitudo. Quemadmodum etiam si lineam ad perpendicularum exactam super quodlibet planæ superficiei punctum demiseris, plures quidem alias in obliquum super punctum idem ducere poteris, nullam vero similem: ita simplex et absoluta est certitudo. *Incertitudo* autem plurimis gradibus distinguitur; nos enim incertos vel una causa, vel plures efficiunt. Quod ab ignoto teste didici, minus me movebit, quam si vir notus et spectatæ fidei idem tradiderit. Animum quidem impellit unius scriptoris auctoritas, duorum vero majoris est momenti, et quo plures alii subinde accedunt, eo propius me certitudini admovent.

Verum ubi eam attigi, quæcumque credendi causæ ulterius congerentur, incassum recident: nihil inde certitudini accedet. Perinde ac postquam vas liquore jam a summo impletum est, quidquid insuper infundes, ex omni parte demissum diffluet: sic animus, quum certus est, nihil amplius capit, omnesque aliæ frustra superfunduntur rationes.

Veritatis lumen adeo nostri desiderant animi, ut, quoties eo frui non datur, totas vires in illam investigandam intendamus, et quam proxime ei accedere conemur. Itaque quoniam nostra scientia arctissimis circumscribitur terminis, et raro verum plane deprehendimus, sæpenumero mens acquiescit in *verisimili*, id est, in hoc statu, qui nobis potest quam optime repræsentare veri ideam, mixta tamen aliqua falsi imagine; nam si nihil falsi appareret, rem profecto veram judicarem. Quum contra verum et falsum æquo pendent examine, neutram in partem inclinatur similitudo. Exemplo uti liceat, quod C. P. *Buffier* attulit: finge pannum

albo nigroque colore æqualiter variatum; utri eum colori peculiariter attribues? Sin autem nigris maculis multo minoribus infectus fuerit, eum certe albo similem prædicabis. Itaque *verisimilitudo*, si vim admodum suam verbo concedas, proximus est ad certitudinem gradus.

« *Probabile* autem est id, quod fieri solet, aut quod in « opinione positum est, aut quod habet in se ad hoc quam- « dam similitudinem, sive id falsum est, sive verum; » ut ait M. Tullius, de Invent. I, 29. Sæpius quidem illas opiniones, secundum quas mentem nostram consiliaque et vitam omnem ordinamus, veras esse non pro indubitato habemus. Multis tamen rationibus ad eas assensu comprobandas inducimur. Quotiescumque factum aliquod narratur, si nihil habet contra naturam, et solito rerum ordini nequaquam repugnat, ideo fit probabile; quasi si quis dicat a matre filium diligere, hominem ab alio sospitatum, militem gallicum in prælio fortiter fecisse, vel urbem olim fuisse quæ vocaretur Persepolis, aut Bysantium.

Quum quidem æquales assentiendi et negandi causæ sunt, neutramque in partem inclinat probatio, tunc suspensus in ancipiti sententia animus hæsitat; qui status vocatur *dubitatio*. Dubitamus igitur, quoties ex allatis hinc inde rationibus nulla nos ad iudicandum impellit, et in vado hæremus. Itaque incertum hominem non male comparant cum nave, quam contrarii fluctus huc et illuc circumagunt, nec usquam requiescere patiuntur. Sed quemadmodum tenebras oculi aversantur, ita noster animus ab incerto abhorret, quod ipsi mortis instar est.

Nunc, antequam ad certitudinis historicæ disputationem veniamus, unum adhuc notandum superest, a vero scilicet verisimile admodum discrepare. Errat enim vehementer, si

quis utrumque firmo quodam et constanti vinculo conjunctum existimat : quippe nonnulla facta solitum rerum ordinem et verisimilitudinis modum excedunt, quæ nihilominus in dubium vocari præclara non sinunt testimonia; qualis est mors Ciceronis, obtruncati ab illo ipso quem capitis reum supplicio exemerat. Multa e contrario fieri posse videntur, quæ tamen non eveniunt. Itaque in historia, sicut in cæteris artibus, a veritate diligenter discerni debet ipsius similitudo, et tunc solummodo quum illa omnino deficit, hæc admitti potest.

Qua tandem ratione res nobis absentibus peractas certo cognoscemus? Nimirum ex ipsius facti relati natura, et ex auctoritate numeroque testium a quibus asseritur.

In varias classes distinguntur facta : illa enim vocantur *naturalia*, quæ usitato rerum ordini consentanea sunt; illa vero *supernaturalia*, quæ solitum naturæ modum superant, constitutasque orbi leges invertere videntur. Sunt etiam *coæva*, quum ætate eorum quibus referuntur, peracta sunt; *historica* autem, quoties vel per ora hominum, vel scriptis, vel monumentis transmittuntur. Plures quoque divisiones alias rhetores invenere; nam facta constituerunt *privata*, vel *publica*; *clara*, vel *obscura*; *magni*, vel *parvi momenti* : sed eas prætermitto distinctiones, in quibus enumerandis tempus frustra tererem.

Multiplicis quoque generis sunt testes : *oculati*, quando ipsi oculis factum perspexere; *historici*, quum referunt factum ex aliorum auctoritate sibi compertum; *coævi*, si res ætate sua peractas memorant; *posteriores*, si tempus, antequam ipsi vixerint, præterlapsum recolligunt.

Oratores quidem et poetas in historia recusat philosophia; quippe quod alii semper in unam partem studentes, alii

ingenio et Phœbei furoris impetu abrepti, sæpissime veris falsa intermiscent, animique studio transversim aguntur.

Quosdam reperire est scriptores, qui suæ et aliorum scientiæ consulentes, quæcumque quotidie geruntur, commentariis inscribunt, variasque rerum vices sibi perspectas posteris commendant. Iis quidem fides habenda; attamen considerandum est, quæ fuerit eorum indoles, studia, opiniones et ingenium, quasnam ipsi in mundi theatro partes egerint; utrum personam sustinuerint, an solum adfuerint spectaculo. Is enim qui rebus immiscetur et varias eventuum causas intropicit, eas quidem certiori sane sententia posset aestimare; qui vero tantum arbiter sedet et iudex, non amore, aut cupiditate, non odio, nec invidia motus, incorruptius iudicium feret: prior enim aliquam fere semper suspicionem movebit, ne dissimulando vera, sensus animi dictis circumvestiat; alteri autem, etsi non veritati proximus videatur, favebit species animi candidioris. J. Cæsari nihilominus confidendum, qui toties vincendo immortalem famam adeptus, nihil de se memoravit, quod non alius quisquam prædicasset.

Scriptores, sicut testes, expenduntur; utque vir sapiens factis quæ referuntur credere non dubitet, rhetores alii aliud postulaverunt: præcipuæ sunt conditiones, ut factum sit *possibile*, ut gravius *momentum* habeat; ut sit *publicum*, ut ei firma ratione nemo *contradicat*, ut a *pluribus testibus* referatur. Porro tunc constare dicitur factorum veritas, quum eorum testes, 1^o nec decipi possunt, 2^o nec decipere volunt, 3^o nec possent, etiamsi vellent.

Quando testes non decipi possunt?

Quoties a plurimis testibus oculatis narrantur facta sensibus obvia, et cuilibet attendenti facillime cognoscenda, quis

eos in errorem lapsos suspicari queat? An omnes existimandi sunt facultatibus et sensibus humanis orbati? Fateor equidem homines errori esse obnoxios, fateor variis agitados cupiditatibus, diversis opinionibus imbutos; sed quo magis genere, religione, institutis differunt, eo majorem eorum verbis fidem adhibeo, si omnes, quasi indole deposita, in idem consentiunt. Veritas enim æterna est, unica, nec unquam variæ et mutabili hominum voluntati obnoxia. Errores autem in eorum animis oriuntur, et quaslibet induunt formas, prout quemque sua trahit libido, aut cæci animi vana credulitas. Itaque homines inter se veritas sola conciliat; disjungunt autem errores, et invicem alios aliis opponunt.

Quando testes nolunt decipere?

Usu comprobatum est, nihil agere homines, nisi ratione quadam inductos seu evidente, seu occulta. Certe igitur gratuito nolint fallere, quum præsertim sciant nihil hinc aliud ad se rediturum, quam turpem illam deceptoris notam, quæ mendacio suscepta æternam nomini labem inurit. Immo constat, ut ipse testatur M. Tullius (de Officiis, I, 4), « quod verum, simplex, sincerumque sit, esse naturæ hominis aptissimum. » Quapropter ad comprobendam testium fidem, reputandum est in primis, an aliquo mentiendi fructu alliciantur. Sed quomodo fieri possit, ut plurimi testes, quos nec indoles, nec utilitas, nec opiniones jungunt, nihilominus singulari quodam fato ad nos decipiendos impellantur? Dic mihi, quo perenni fraudis studio viginti abhinc seculis homines Romam existere affirmant! Tecum reputa Christianæ religionis originem: credendi profecto sunt ii testes, quos a testimonio mors ipsa non deterret!

Quando nequeunt fallere, etiamsi fallendi consilium suscepissent?

Ubi agitur de factis palam in media luce peractis, et quæ cognoscere plurimorum interest, nusquam locus fallaciæ patet. Ita enim sumus a natura comparati, ut nihil quod ad nos pertineat imprudentes accipiamus, et, vel in ipsa fiduciæ securitate nos ad res diligenter expendendas felix quidam instinctus retrahat. Quin ubi magnæ aguntur quæstiones, seu ad religionem sanciendam, seu ad reipublicæ statum et populi salutem spectantes, quis commentitia pro veris aggerere audeat? Quis fucum facere possit? Forsan aliquoties testis occurret falsus; sed multi statim superveniunt, qui fraudem retegant; sed contra loquuntur ipsa quæ consequi debuerunt facta; sed vividum veritatis lumen undique erumpit, et late refulget.

Fatendum est igitur coæva nobis facta vere cognosci posse ex hominum testimonio: at eadem, labentibus seculis, quomodo resistunt tempori omnia corrumpenti? Nonne annorum vices quidquam paulatim fidei detrahunt, et quo plures intercessere, eo densior obfunditur caligo, atque in fabulis res versatur?

Quoties contingit, ut factum gravissimi momenti et publicum transmittatur per certam testimoniorum seriem, et ab ipsa origine, quasi per catenæ annulos, ad nos continuetur; nusquam errori locum esse, ex iis quæ modo disputavimus, colligendum etiam existimo. Ecquando enim mendacium occepisset? A prima videlicet ætate? sed oculati testes æquales suos decipere non possunt; a sequentibus? sed hominum generationes non subito et fulguris instar evanescunt; quippe quæ, arctissimis inter se vinculis connexæ, sensim progrediantur ad metam, quemadmodum fluminis immensi undæ continenti agmine in oceanum delabuntur. Quare si a secunda ætate mendacium incipiat, adhuc a prima ætate testes oculati aut

eorum æquales supererunt, qui fraudem patefaciant. Quin et a tertia plurimi rem per se cognoscent: patres enim tempora præterita filiis referunt, et quidquid ipsi a maioribus acceperunt, nepotes edocent. Itaque ubi primo factorum veritas bene confirmata est, ad remotam posteritatem per ora hominum potest integra devenire.

Aliud tamen est testimonium, quo varii eventus diligenter memorati nobis facilius innotescunt; scripta scilicet historia, quæ res omnium temporum omniumque locorum una collectas, ex opacis, ubi pleræque jacebant, tenebris eruit et lumine collustrat splendidissimo. Qua adjuvante, e tumulo resurgunt veteres illi sapientes, quorum «imagine nobis non solum ad intuendum, sed etiam ad imitandum expressas¹» Græci et Latini scriptores tradiderunt. Ea enim tot rerum causas, ordinem, exitumque illuminavit; ea tot leges populorum diu desuetas edocuit; ea tam multas sapientium voces, tantam exemplorum segetem asservavit.

Videndum est igitur, quomodo ejus fides constare possit. Fidem rhetores tribus conditionibus definiunt: scripta sint, 1^o *authentica*, 2^o *veridica*, 3^o *integra*.

Authentica vocatur historia, quum ab eo composita est, cujus nomine inscribitur. Tunc autem illud compertum erit, si temporis, ad quod refertur, moribus, institutis, opinionibus sit consentanea; si auctoris, cui tribuitur, indolem, stylum, ingeniumque aliunde notum repræsentet; si eam auctori nominato vel æquævi scriptores, vel constans fama attribuerit. Quis enim Horatii carmina ad cruentos Marii et Sullæ annos referat? Quis ea prisco Catoni assignet? Quis mente sanus, Æneidem ab undecimi seculi monachis conditam audeat asserere?

Veridicus erit auctor, qui non ex incertis rumoribus, sed ex ipsa testium relatione, ex fidis annalibus publicisque monumentis narrationem suam concinnasse, qui non favori nec odio indulgere, non credulitati neque cupiditatibus inservire visus fuerit. Historicus præterea non illi similis est, qui arcanum quoddam in aurem alterius insusurrat; verum sicut orator publicus e suggesto omnes quasi gentes alloquitur, coram ætatis suæ hominibus: cujus verba, ubi non confutant, auditores confirmare sunt putandi; nam qui tacent, consentiunt.

Integritas scripti constat, quoties in ipso opere nihil ab aliena manu interpolatum est, nullumque styli adulteri indicium deprehenditur: quod facile patebit ex variis exemplaribus manuscriptis impressisve secum invicem collatis. Ubi autem nequaquam in rebus, sed tantummodo forsitan in quibusdam litteris, longo temporum situ corruptis, discrepabunt, tunc unanimi codicum, non secus ac hominum, auctoritate, facti narrati veritas confirmabitur.

Tertium est argumenti genus, quo nititur historiæ fides; monumenta nimirum, quasi viventia rerum præteritarum testimonia. Populi enim æternæ gloriæ appetentes, quum aliquid singulare dignumque memoria contigerat, illud statim ære cælabant, aut insculpebant saxo, et famæ suæ pignora in posteritatem extendebant remotissimam. Si autem oculati testes æqualibus suis imponere nequeunt, num monumenta mendacium possint consecrare? Statuæ quidem improbo regi, dum vivit, aliquando eriguntur; sed aut exstant omnibus execrandæ, aut eas mox frangit publica indignatio, dum amatæ regum optimorum effigies, si qua forte civilium procellarum violentia deturbantur, resurgunt statim post tempestatem, amore populorum circumplaudente.

Henrici quarti statuam nepotes redivivam adorabunt, sicut de laudibus ejus ætas nulla, nullus in Gallia pauper unquam conticescet.

Ex his omnibus, quæ modo exposuimus, principiis perpendenda quoque sunt facta *supernaturalia*, etsi majorem attentionem postulent. Enimvero quum factum naturale memoratur, multum jam auctoritatis accipit ab ipsa verisimilitudine, ut paucioribus argumentis opus præterea videatur. Sed ubi solitos naturæ fines transgreditur, constitutumque ordinem invertit, animis statim injicit suspicionem, quæ non nisi argumentis luce clarioribus possit convinci. Attamen miraculum rationi non repugnat; nam qui mirabilem mundi concentum valuit componere, illum quoque aliquando inhibere valet. Si Omnipotens jusserit, quis flumina sisti, quis montes subsidere, quis mortuos resurgere vetabit? Ea igitur admitti debent, sed tunc solummodo quum auctoritate quam maxima fulciuntur.

Hactenus de testibus et monumentis : quod autem in multis deficient monumenta ac testes, ex aliis etiam fontibus haurienda est cognitio : e *conjecturis* scilicet et ratiocinatione; qui quidem scientiæ gradus, etsi longe distet ab evidentia, non ideo tamen est rejiciendus.

Quasdam enim universas naturæ leges constituit Deus, nullo tempore, nulla hominum voluntate mutandas. Quarum aliæ ad corpora pertinent; aliæ vero ad mentes : quales sunt astrorum et temporum vices, aut qualis est ingenitus animis nostris justitiæ amor felicitatisque desiderium. Unde plurima colligenda sunt, quæ manifesto debuerunt evenire, quamquam a nullo scriptore memorentur.

Tria sunt præsertim genera causarum, e quibus pendent varii rerum eventus. 1°. Homines quidem communi quo-

dam similitudinis vinculo conjunguntur, corporis nimirum conformatione, sensibus animi, cunctisque vitæ necessitatibus: hinc constituitur quasi una omnium indoles, iisdem semper circumscripta finibus. 2°. At unicuique populo singulare ingenium conferunt vel regionis cælum, vel imperii leges, vel artium et doctrinarum processus: inde diversæ rerum species diversis terrarum partibus accommodatæ oriuntur. 3°. Fortunæ autem casus vocantur, quæcumque ex ordine universo, qui nos fugit, derivata, tunc solummodo detegi et cognosci possunt, quum ante oculos apparent, aut ab oculatis testibus certo transmittuntur.

In gentium principiis valere præsertim debuit universa illa indoles; quippe recentes a natura nondum ingentam simplicitatem dedidicerant: deinde labentibus seculis et crescente civium numero a priscis moribus paulatim descitum, prout suadebat regionum differentia, industriæ, aut cupiditates. Postea vero fiet, ut populi, commercio conjuncti, easdem artes, eosdem usus sibi invicem communicent, atque iterum alii aliis similes efficiantur.

His animadversis, non immerito sane quædam de primis humanarum gentium seculis conjectura assequi posse videbimur. Non enim magna statim exstiterunt imperia, quibus præessent reges potentissimi, sicut in Græcorum fabulis traditum est; sed e pastorum agminibus, aut ex sylvestribus viris exiguæ nationes conflatae sunt. Quare pluribus in unum corpus coeuntibus, inventæ sunt leges, quæ cupiditatum impetum coercerent; simul et rei publicæ cura exorta est. Interea homines paucis adhuc imbuti cognitionibus, veram paulatim religionem adulterarunt, donec ignorantiae caligine involuti, omnino lucem oculis excluserunt.

Pauca tamen et non adeo certa in illa temporum nocte

deprehenduntur : quum vero ad posteras ætates perventum, quarum jam præcipuos eventus tradiderunt scriptores, tum rectiores instituuntur conjecturæ. Nam ubi rerum capita nobis innotuerunt, facile de adjunctis cogitamus, temporumque seriem, velut Ariadnes filo adjuti, extricamus. Veritatem quippe præsentimus, antequam oculos percellat, et conjecturam sæpe excipit evidentia. Doctrinæ enim, sicut artes, non a primo statim ortu manifesta in luce refulserunt, sed cum ignorantia et circumstantibus tenebris diu oblucata, ancipites gradus sub incerta conjectationis luce pedetentim movebant. Conjecturis igitur, etsi modeste, attamen cum spe inveniendæ veritatis utendum. Nam quemadmodum navis gubernator, qui secundum astra cursum dirigit, licet nunc cælum obscuretur tempestate, non ideo salutem despondet, viamque experientia certus, haud tamen incaute, pergit, donec optata tandem stella resplendeat : sic et nos conjiciendo ducem sequi rationem debemus, dum res postremo manifestæ appareant.

Quicumque scit argumentum instituere, is ex ipsa causarum cognitione discit effectus, et vice versa, ex effectibus causas eruit. Itaque si videat Athenienses a Philippo, illo Macedoniae regulo, sub jugum prostratos, statim hinc arguet, eos jam pridem ab antiqua virtute et legum reverentia, per quas Asiam fregerant, dejectos languere, et non gloriæ amplius, verum spectaculis operari. Similiter consideranti Romanos bellorum civilium furore ardentes, quum unusquisque, prædæ et potestati inhians, laceram ad se rempublicam trahere conetur, patebit profecto, jam conclamatam libertatem, et de magnitudine romana actum esse.

Cæterum attentione maxima et sagacitate opus est, ne nimio animi impetu abrepti aberremus : errores enim undi-

que profluunt, dum veritas tacite oritur. Cavendum præsertim, ne opiniones nostras et hujus ætatis mores in alia tempora transferamus. In dies enim humani generis status immutatur. Ante igitur quam facta perpendas, considerandum est in primis, quod fuerit cujusque populi singulare ingenium, quas leges divinas et humanas acceperit, quibus tunc artibus et disciplinis floruerit, an prospera vigeret fortuna, seu adversa laboraret; denique quot subitis vicibus exagitatus fuerit. Omnino scilicet inter se differunt ætates. Plerique hominum hodie vix a risu se continent, quoties de Lycurgi institutis mentio incidit. Quam multi de Leonidæ fortitudine, de Catonis constantia dubitare vellent! Pauci quidem ad antiqua tempora valent recurrere; et tamen non aliter ea vere æstimari possunt. Pœni quippe nunquam Romanis fuere similes, et horum fides in sacramento valde a punica fide distat. Ubique cum rerum facie ipsi homines novantur. Quoties Galli triginta abhinc annis diversi a se exstiterunt, nunc libertatis male intellectæ studio furentes, nunc sceptro parentes ferreo, nunc in legitimorum regum amore tandem quiescentes!

Vidistis aliquando mare, quum ventis leniter crispatum multiplices replicaretur in sinus, aut quum inflatum tempestate immensos fluctuum orbes ad littora contorqueret: sic humanum genus continuis vicissitudinibus agitatum, sive motu tacito, sive subito tumultu immutatur. Quod si quis penitus a se observatum velit, altissimis defixus meditationibus hæreat, doctumque seculorum pulverem constanti interroget animo necesse est.

ANALYSIS.

Multa homines ex aliorum *auctoritate*, non immerito quidem, credunt.

Ad *certitudinem* ducit auctoritas.

Nulli sunt in certitudine *gradus*, plures vero in incertitudine.

Facta certe *cognoscuntur* vel ex ipsorum natura, vel ex numero testium;

Quando testes non *decipi* possunt;

Quando *nolunt decipere*;

Quando *nequeunt*, etiamsi vellent.

Facta, vel per *ora* hominum,

Vel per *scripta*,

Vel per *monumenta* transmittuntur.

Conjecturæ quoque ad veritatem perducere valent.

Vidi ac perlegi, die Julii decima septima 1823,

BARBIÉ DU BOCAGE,

Facultatis litterarum in Academia Parisiensi
Decanus.

Typis mandetur, die Julii decima octava anno 1823.

Consiliarius Rector Academiæ Parisiensis.

NICOLLE.

Excudebat JULIUS DIDOT NATU MAJOR, Regis Typographus.